INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXV A DIE XXIV APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **DR. FRANCISCI BECKMANN PROF.** DE AESCHYLI LOCIS AGAM. 3. ET EUMEN. 80. COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. ANDR. MENZEL,

PROF. PUBL. ORD.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

In scriptorum veterum lectione si obscurum Vobis vocabulum offertur, Commilitones humanissimi, iure primum quaeritis, quid vetustissimi interpretum, quid scholiastae, lexicographi, grammatici veteres de significatione eius tradiderint. Sed cautione simul opus est, ne traditionibus eorum plus pretii tribuatis, quam merentur. Totis enim saeculis plerumque ab aetate scriptorum, quos interpretantur, seiuncti, verborum suo tempore obsoletorum significationes, quas proferunt, non raro aut ex locis male intellectis derivarunt, aut comparatione vocum non origine, sed sono tantum affinium invenerunt, e quibus, quid significent, non cognoscitur. Exemplum vocabuli, cuius significationes quae feruntur ex tali fonte manarunt, praebent Aeschyli loci Agam. 3 et Eumen. 80.

In Agamemnone custos vel excubitor, qui prologum dicit, v. 1—4 a diis finem petit molestae suae vigiliae, quum iam per annum stratus in tectis Atridarum *ἄγκαθεν*, canis modo, astrorum nocturnorum congregationem observarit vel cognoverit:

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων,
φρουρᾶς, ἐτείας μῆκος[1]), *ἣν κοιμώμενος*
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,
ἄστρων κάτοιδα[2]) *νυκτέρων ὁμήγυριν.*

In Eumenidibus v. 80 Orestes ab Apolline iubetur, Palladis urbem ingressus, vetustum (Palladis) simulacrum *ἄγκαθεν* sumere ac considere:

— μολὼν δὲ Παλλάδος ποτὶ πτόλιν,
ἵζου παλαιὸν ἄγκαθεν λαβὼν βρέτας.

Legitur utroque loco una eademque *ἄγκαθεν* vox, sed non idem utroque loco significare omnibus interpretibus visa est. In Agamemnone enim v. 3 ex scholiastae Medicei et grammatici anonymi in Bekk. Anecd. 337, 25 sententia per syncopen vel apocopen pro *ἀνέκαθεν*, desuper

---

[1]) De interpunctione et sententia huius loci inter viros doctos non convenit. Sed opportunius excubitor hic a diis remissionem molestae suae vigiliae, quae iam annum duraverit (*ἐτείας κατὰ μῆκος*), quam per annuae vigiliae longitudinem (*φρουρᾶς ἐτείας μῆκος*) remissionem laborum petit. Reliquae interpretationes, Valckenarii dico (*φρουρᾶς ἐτείας μῆχος*), Guil. Humboldtii (*φρουρᾶς ἐτείας μῆκος* i. e. Ziel der Jahreswache), G. Hermanni (*φρουρᾶς ἐτείας μῆκος*, scil. in mente habeo), tantum non e memoria recentissimorum interpretum excesserunt.

[2]) Gloss. Farn. *κάτοιδα· γινώσκω, ἔμαθον.* Sed quaeritur, *κάτοιδα* hoc loco nonne idem fere quod *κατεῖδον* significet, respondens versui 8: *καὶ νῦν φυλάσσω κτλ.* Cf. Klausen, Aesch. Agam. 1833 ad vs. 4.

e longinquo, vel ἄνωθεν, desuper, superne, posita est[3]); in Eumenidibus autem v. 80 interpretis veteris monitu, qui loci Aeschylei Suppl. 465 κλάδους τε τούτους ἄψ ἐν ἀγκάλαις λαβών, i. e. ἀγκὰς ἑλών, videtur memor fuisse, aut certe ἄγκαθεν indidem, unde ἀγκάλη, derivavit, i. q. ταῖς ἀγκάλαις, ulnis, significat[4]), et in codice Farnesiano etiam Agamemnonis versui 3 ad ἄγκαθεν vocem ἐν ἀγκάλαις, in ulnis, interpretatio adscripta est[5]).

Ad veteres vero interpretes in utroque loco explicando arcte se applicant recentiores. In Eumenidibus enim v. 80 ad unum omnes de simulacro ἀγκάλαις, i. e. ulnis, vel ἀγκάς, i. e. in ulnas, sumendo mentionem fieri existimant; in Agamemnone vero v. 3 plerique, ut scholiastes Mediceus, de custode, canis modo, ἀνέκαθεν i. e. desuper ex tectis Atridarum vigilante cogitant; Klausenius tamen, glossae in codice Farnesiano memor, de custode ἐν ἀγκάλαις i. e. ulnis innixo[6]); item Hermannus[7]) et Engerus[8]); iique quoniam syncopen in adverbio composito ἀν-έκαθεν non admittunt, Schneidewinus ἄγκαθεν in Agam. 3 non a composito ἀν-έκαθεν, desuper e longinquo, sed, in ἄνωθεν, desuper, significatione acquiescens, tanquam simplex a simplici ἀνεκάς[9]), sursum, sublime, derivat[10]), simulque, ut oratio facilius procedat, invitis codicibus

---

[3]) Schol. Med. ἄγκαθεν, κατὰ συγκοπὴν ἀντὶ τοῦ ἀνέκαθεν, τουτέστιν ἄνωθεν, ἐξ ἀρχῆς. Gramm. in Bekk. Anecd. l. c.: ἄγκαθεν, κατὰ ἀποκοπὴν ἀντὶ τοῦ ἀνέκαθεν. οὕτως Αἰσχύλος. Cf. Hesych. ἀγρίαθεν (l. ἄγκαθεν)· ἀνέκαθεν· Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.

[4]) Gl. ad Eum. 80: ἄγκαθεν λαβών· ταῖς ἀγκάλαις.

[5]) Gl. cod. Farn. ad Agam. 3: ἄγκαθεν· ἐν ἀγκάλαις.

[6]) Klausen, in editione sua Agamemnonis, quae prodiit Gothae et Erfordiae 1833, p. 98: „Ἄγκαθεν, flexo cubito, ut Eumen. 80. Flexi cubiti modo interior, modo externa pars respicitur: externa hoc loco, interior illo. Cubito in cubando nititur custos. Recte Gl. Farn. ἐν ἀγκάλαις. Quod e longinquo vel desuper vocem interpretantur scholiasta et editores (ἄγκαθεν κατὰ συγκοπὴν κτλ.), neque apta est huic loco mentio longinquitatis, neque factam esse hanc syncopen credo, nam Eum. 369 scribendum esse ἀνέκαθεν (ut Choëph. 427, cf. 317), non ἄγκαθεν, docet res metrica".

[7]) G. Hermannus, Aeschyli tragoed. ed. 3. Lips. 1859. T. II. p. 363, Klausenii argumentationem, reprobata syncope, de qua scholiastes loquitur, non sine dubitatione aliqua, longius prosequitur, additque, aptissimum Aeschyli loco esse versum Homeri Od. 14, 494: ἦ, καὶ ἐπ' ἀγκῶνος κεφαλὴν σχέθεν, εἶπέ τε μῦθον.

[8]) Enger, Aeschylos Agamemnon, Leipz. 1855 p. 101: „Ἄγκαθεν, wie ἀγκάς, in, auf den Armen, ἐν ἀγκάλαις, in ulnis. Der Wächter liegt also, den Kopf auf die beiden Arme gestützt, und vergleicht diese Stellung mit der eines Hundes (!). Befremdlich ist aber der Ausdruck κοιμώμενος ἄγκαθεν; da man ἄγκαθεν nur mit Verbis, wie ἔχειν (?), φέρειν (?), λαβεῖν verbindet und κοιμᾶσθαι ἄγκαθεν (?) eigentlich nur von dem gesagt werden kann, der in den Armen eines Andern ruht. Daher setzen Einige ἀνέκαθεν, von oben herab". — Sequitur Engerus hanc interpretationem etiam in novissimo suo opere: Aeschyli Agamemno, primum ed. Klausen, editio altera, quam curavit Enger, Lips. 1863 p. 112 coll. p. 5.

[9]) De accentu huius adverbii ἀνεκάς, ἄνεκας cf. Apollon. de adv. p. 570. Apud Plutarchum Thes. 33 ἀνέκας legitur.

[10]) Schneidewin, Aeschylos Agamemnon, Berlin 1856 p. 3: „Ἄγκαθεν (nicht zu verwechseln mit dem Homonymon ἄγκαθεν λαβεῖν βρέτας Eum. 80, Hom. ἀγκὰς ἑλεῖν, d. h. ἐν ἀγκάλαις), von ἀνακάς, sursum, sublime, Pind. Ol. 2, 23: ὅταν θεοῦ μοῖρα πέμπῃ ἀνακὰς (vulg. ἀνεκὰς) ὄλβον ὑψηλόν, attisch ἄνεκας, d. h. ἄνω, wovon ἀνέκαθεν, ἄνωθεν, synkopirt ἄγκαθεν, wie ἀν neben ἀνά, Eum. 361. Cho. 422. Der Wächter ist gelagert oben vom Dache herab, weil er von dort in die Ferne schauen soll, wie die Wächter Soph. Ant. 407 κάθηνται ἄκρων ἐκ πάγων". Cf. not. 22.

στέγης pro στέγαις legit [11]); id quod Weilius assensione comprobat [12]); Keckius denique in eodem loco explicando haesitat, utrum ἀνέκαϑεν pro ἄγκαϑεν legat, an ἄγκαϑεν per syncopen ex ἀνέκαϑεν ortum esse concedat [13]). In summa igitur de utroque loco dissensione hoc inter viros doctos convenit, quod scholiastarum veterum auctoritatem sequuntur, itaque ἄγκαϑεν, sive altero, sive utroque loco, aut in ulnis aut i. q. desuper, superne, significare arbitrantur.

Sed ἄγκαϑεν idem esse, quod ἐν ἀγκάλαις, in ulnis [14]), analogiae grammaticae non est consentaneum, siquidem adverbiorum in ϑεν exeuntium hoc proprium est, ut quaestioni, unde aliquid, respondeant, ut ἕκαϑεν, τηλόϑεν, ἀλλόϑεν, οὐρανόϑεν, οἰκόϑεν, πρῴραϑεν, Ἀϑήνηϑεν, itaque ἄγκαϑεν, si de ulnis sermo est, nihil aliud, nisi ex ulnis, significare poterit, quae significatio neque Eumenidum neque Agamemnonis loco convenit. Accedit, quod in Eumenidibus poetae, si de simulacro in ulnas sumendo cogitabat, pro mendoso illo ἄγκαϑεν λαβών, sine mendo, si non ἄγκαϑι λαβών, at certe ἀγκὰς ἐλλαβών licebat dicere; in Agamemnone autem ἐν ἀγκάλαις significatio ideo iam admitti non potest, quod, ut recte monet Weilius, nec custos per tam longum tempus, nec canes vigiles, quibus se ille similem esse ait, ulnis innituntur [15]).

In Agamemnone vero ἄγκαϑεν, sive per syncopen, sive per errorem librarii, ex ἀν-έκαϑεν, desuper e longinquo, ortum esse, aut certe i. q. ἄνωϑεν, desuper, significare, non magis probabile est. Nam talis syncopae, qua syllaba primaria vel ad cognoscendam vocabuli vim et originem necessaria abiiciatur, non exstant exempla [16]); ἄγκαϑεν autem simplex esse adverbium, ex

---

[11]) Idem ibid. p. 200: „Zu ἄγκαϑεν = ἄνωϑεν stimmt nicht die Vulg. στέγαις. Auch hat der Wächter nicht im Hause, sondern auf dem platten Dache des Hauses, dem φρυκτώριον, gewacht. Daher habe ich στέγης geschrieben, zumal Aeschylos sonst durchweg στέγη oder στέγος hat". Cf. not. 21.

[12]) Weil, Aeschyli Agamemno, Giessae 1858 p. 5: „Libri στέγαις. Corr. Schneidewinus. Recte enim schol. Med., Hesychius et grammaticus in Bekk. Anecd. p. 337, 25 statuunt ἄγκαϑεν hoc loco esse κατὰ συγκοπὴν ἀντὶ τοῦ ἀνέκαϑεν, τουτέστιν ἄνωϑεν".

[13]) Keck, Aeschylos Agamemnon, Leipz. 1863 p. 208: „Ist ἄγκαϑεν wirklich, wie die alten Grammatiker bezeugen, durch eine (wohl populäre) Synkope aus ἀνέκαϑεν entstanden (und es ist nicht zu läugnen, dass die andere Deutung von ἄγκαϑεν, auf die Ellenbogen gestützt, in komischem Widerspruch mit κυνὸς δίκην stehen würde), so muss nothwendig nach Schneidewin στέγαις in στέγης verwandelt werden. Doch bin ich sehr zweifelhaft, ob die Angaben der Alten über die Entstehung von ἄγκαϑεν aus ἀνέκαϑεν richtig sind; durch eine solche Synkope wäre ja das Wesen des letzteren Wortes alterirt; vielleicht ist also auch hier, wie Eum. 361, wo die Codd. ἄγκαϑεν haben, geradezu ἀνέκαϑεν zu lesen".

[14]) Cf. not. 4. 5. 6. 7. 8.

[15]) Weil l. c. p. 5. Cf. Schneidewin l. c. p. 200: „Abenteuerlich ist die selbst von Hermann befolgte Erklärung ἄγκαϑεν = ἐν ἀγκάλαις. Was heisst ἄγκαϑεν κοιμᾶσϑαι? und gar κυνὸς δίκην! Die von Hermann verglichene Stelle Hom. Od. 14, 494 ἦ, καὶ ἐπ' ἀγκῶνος κεφαλὴν σχέϑεν, εἶπέ τε μῦϑον, ist ganz unähnlich, da dort von dem augenblicklichen σχῆμα eines Nachsinnenden die Rede ist". — Ceterum Schneidewinus Hermanni interpretationem ἄγκαϑεν, ἐν ἀγκάλαις, quam in Agam. 3 tam vehementer vituperat, in Eum. 80 ipse sequitur. Cf. not. 10.

[16]) Cf. Hermann l. c.: „Mira apocope, qua vocalis necessarius abiicitur. Et licebat hic ἀνέκαϑεν dicere, ut factum est in Choeph. 422. Fierique potuit, ut, quemadmodum in Eum. 361 male scriptum erat ἄγκαϑεν, ubi metrum ἀνέκαϑεν ab Aeschylo profectum ostendit, ita hic quoque peccarent librarii".

simplici ἀνεκάς i. e. ἄνω ortum [17]), ab analogia grammatica non minus alienum est [18]), et, quidquid ad commendandum illud desuper interpretes excogitarunt, — nam invitis codicibus non pauci ἀνέκαθεν pro ἄγκαθεν legendum censuerunt [19]), nonnulli etiam στέγης pro στέγαις legunt [20]), id quod ideo iam vituperandum est, quod dativus localis στέγαις, i. e. ἐπὶ στέγαις [21]), verbi κοιμώμενος (κείμενος) significatione requiritur, quum, pro significatione adverbiorum in θεν exeuntium, ἄγκαθεν non cum κοιμώμενος [22]), sed cum κάτοιδα iungendum sit, — quidquid, inquam, excogitarunt interpretes, non decet custodem dicere, per annum se stratum in tectis Atridarum desuper, canis modo, stellarum agmen considerasse, quum canes desuper ex tectis nec vigilare, nec stellas spectare soleant.

Ex propositis igitur interpretationibus nulla est, quae et analogiae grammaticae et locis, de quibus disputamus, satisfaciat. Nec tamen difficile inventu, quae vera Aeschyli utroque loco sententia fuerit.

Ἄγκαθεν enim, si non ex ἀνέκαθεν ortum est, sane nihil reliquum, nisi ut vel ab ἀγκάς adverbio, vel a stirpe huius adverbii, sive ab ἀγκή sive ab ἌΓΞ, ἈΓΚός [23]), h. e. ab eadem

---

[17]) Conf. not. 10.

[18]) Recte enim Lobeckius, pathol. Gr. serm. elem. Regimont. 1853. I. p. 253: „Schneidewinus in Philol. Ann. III. 116 cum ἀνεκάς confert ἀμάκις tanquam simplex cum simplici; sed adverbiorum quae ad numerum referuntur ut συχνάκις, ὀλιγάκις, permagna est copia; illius localis generis nullum extat". Quod Plutarchus Thes. 33 ait τὸ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἀνέκας ὀνομάζειν καὶ ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν, eo non comprobatur, ἀνεκάς illud simplex esse adverbium. Ex ἄνω et ἑκάς compositum est, ut ἀνέκαθεν ex ἄνω et ἕκαθεν. Cf. Hesych. ἀνέκαθεν· μακρόθεν· ἤτοι ἐκ πολλοῦ· ἢ ἀπ' ἀρχῆς. ἑκὰς δέ ἐστι μακρόν (corr. μακράν), quae significationes inde faciles sunt explicatu, quod et ἑκάς et ἄνω tam de tempore, quam de loco usurpantur. Hesych. ἄνω· ἐπὶ τοῦ ἀνωτέρου τόπου καὶ χρόνου. Item ἑκάς Il. 13, 263. 20, 354 de loco; Herodot. 8, 144. Aesch. Agam. 1621 (1659) de tempore.

[19]) Conf. not. 8. 13. 16.

[20]) Conf. not. 11. 12. 13.

[21]) Conf. Sophocl. Oed. R. 1266: γῇ Ἔκειτο τλημών i. e. ἐπὶ γῇ. Elect. 312: ἀγροῖσι τυγχάνει (ὤν), i. e. ἐπ' ἀγροῖς. Revera igitur στέγαις non est ἐν τοῖς οἴκοις, qnae fuit Schneidewini sententia (cf. not. 11), sed ἐπὶ στέγαις i. e. in tectis, super tectis. Quod vero Aeschylus h. l. de tectis, non de tecto, loquitur (cf. not. 11), non est mirum; nam de regia sede Atridarum (cf. 496 φίλαι στέγαι), non de tecto vulgaris hominis, sermo est.

[22]) Dicitur quidem κεῖσθαι ἔν τινι (Il. 4, 143: κεῖται δ' ἐν θαλάμῳ), ἐπί τινι (Il. 18, 461: ὁ δὲ κεῖται ἐπὶ χθονὶ θυμὸν ἀχεύων), παρά τινι (Il. 9, 556), κτλ.; sed ἔκ τινος κεῖσθαι (cf. not. 10) non dicitur, nisi de rebus vel personis, quae pendent ex aliquo, ut Apollon. Rh. 2, 424: ἐ κγὰρ τῆς (sc. Κύπριδος) κλυτὰ πείρατα κεῖται ἀέθλων.

[23]) Ex ἀγκάς adverbio ἄγκαθεν derivari potest, ut ἕκαθεν ab ἑκάς originem ducit. Sed ipsum ἀγκάς (Hom. Il. 5, 371. 14, 346. 353. 23, 711. 24, 227) nonnulli veterum grammaticorum pro accusativo nominis habuerunt (Eustath. ad Il. 5, 371. 14, 346. 23, 711. Zonar. et Hesych. v. ἀγκάς), ac sane aut correpta ultima syllaba, ut illi volunt, ex ἀγκή, ἀγκαί i. e. ἀγκάλαι, aut ad analogiam nominis λύγξ, λυγκός, ex ἌΓΞ, ἈΓΚός, derivandum est. Certe alterius utrius nominis, nisi fallimur, etiamnunc vestigium exstat Il. 23, 711: ἀγκὰς δ' ἀλλήλων λαβέτην χερσὶ στιβαρῇσιν (cf. Eustath. ad h. l.). Ab ἀγκή etiam ἀγκάλη repeti potest, ut κογχύλη a κόγχη, et fuerunt, qui etiam ἀνάγκη vocem inde derivarent; ad ἌΓΞ nomen ἄγκος et ἀγκών propius, quam ad ἀγκή accedunt.

stirpe atque ἀγκάλη, ἄγκος, ἀγκών, ἀγκοίνη, ancus[24]), ἀγκύλη[25]), ἀγκύλαι[26]), ἀγκύλος, — nam cuncta haec vocabula societate quadam significationum continentur[27]), — derivetur. Verum ἀγκάλη, ἄγκος, ἀγκών, ἀγκοίνη non solum de ulna vel cubito[28]), sed etiam ad angulum, i. e. ad incurvationem vel inflexionem aliquam, ad locum anguste inflexum, ad sinum vel recessum vel latebram (Bug, Biege, Einbug, Winkel, Enge, Ecke) significandam usurpantur (Aeschyl. Prom. 1023: πετραία δ' ἀγκάλη σε βαστάσει. Choeph. 581: πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων ἀνταίων βρύουσι. Eurip. Hel. 1068: πελαγίας ἐς ἀγκάλας. Aristoph. ran. 704: κυμάτων ἐν ἀγκάλαις. Plutarch. de pr. frig. 20: ἐν ἀγκάλαις γῆς. Hom. Il. 22, 190: διά τ' ἄγκεα καὶ διὰ βήσσας. Xenoph. Anab. 4, 1, 7: ἐν τοῖς ἄγκεσί τε καὶ μυχοῖς τῶν ὀρέων. Sophocl. Aj. 805: οἱ δ' ἑσπέρους ἀγκῶνας, οἱ δ' ἀντηλίους ζητεῖτ' ἰόντες τἀνδρὸς ἔξοδον. Oppian. Hal. 3, 34: ἀγκοῖναι λίνοιο); ipsumque angulus non aliunde atque ἀγκάλη, ἄγκος, ἀγκών, ἀγκύλη, ἀγκύλος nomina, ad quae tam prope accedit[29]), repetendum videtur. Neque enim ex ἀγκεῖσθαι (ἀνακεῖσθαι) vel ἐγκεῖσθαι originem ducunt ἄγκος et ἀγκών, ut nonnullis veterum grammaticorum visum est[30]); nam inde nec ancus, nec ἀγκύλαι nominis significatio[31]) derivari potest, nec intelligitur, cur ἄγκος constanter fere vallem[32]), ἀγκών et ἀγκάλη non raro, ut angulus, sinum vel recessum vel latebram[33]) significent; sed, ut angulus cum angere verbo cohaeret[34]), ita ἀγκών, ἄγκος, ἀγκάλη κτλ. cum ἄγχειν, i. e. cum verbo unum idemque significante eodemque cognato et verbi ἀγκάζεσθαι synonymo, cohaerere videntur. Certe inde tam ancus cur eum, qui contractum brachium habet, ἀγκύλαι cur contractos articulos, ἀγκύλη cur inflexionem i. e. contractionem cubiti[35]), quam ἀγκάλη, ἄγκος, ἀγκών cur et angulum, i. e. sinum vel recessum inflexum, et ulnam, i. e. inflexionem brachii, significare possint, intelligitur, nec minus facile ἀγκάς adverbii significatio inde derivari potest; nam in ulnas idem est, quod in angulos brachiorum, nec male Cicero de nat. deor. 2, 25 Euripidis verba, quae exstant apud Stobaeum Ecl. I, 3, 2 et apud Lucianum Iup. trag. 41: αἰθέρα — γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις, interpretatur: „aethera,

---

[24]) Paul. Diac. p. 19, 15: „ancus appellatur, qui aduncum brachium habet et exporrigi non potest".

[25]) Hesych. ἀγκύλη· — ἡ καμπὴ τοῦ ἀγκῶνος κτλ.

[26]) Cels. de re med. 5, 18: ἀγκύλαι, contracti articuli.

[27]) Lobeck ad Sophocl. Ajac. 1809 p. 348.

[28]) Sic ἀγκάλη Aeschyl. Suppl. 476, ἄγκος Hom. hymn. in Merc. 159, ἀγκών Od. 14, 494, ἀγκοίνη Il. 14, 213.

[29]) Cf. Paul. Diac. p. 11, 7: „Angulus a Graeco ἀγκύλον, sive ab eo, quod est ἐγγύς, id est prope".

[30]) Eustathius ad Il. p. 310, 17. 497, 13. 1066, 15 ἄγκος ab ἀγκεῖσθαι, Etymologicum M. ἀγκών ab ἐγκεῖσθαι deducit. Cubiti vocis origo sane a cubando repetenda est. Sed nec unquam haec vox, ut ἄγκος et ἀγκών, ad vallem vel ad latebram significandam usurpata est, nec cohaeret cum nominibus quae i. q. ancus, ἀγκύλη, ἀγκύλος significent.

[31]) Cf. not. 24. 26.

[32]) Cf. Hom. Il. 18, 321. 20, 490. 22, 190. Od. 4, 337. 17, 128. Plat. Cratyl. 240. E. Xenoph. Anab. 4, 1, 7. Eurip. Bacch. 1049. Philo, Quod a deo mitt. somn. 1. vol. I. p. 623. Ulnae potestatem habet in Hom. hymn. in Merc. 159.

[33]) Aeschyl. Prom. 1023. Choeph 581. Eurip. Orest. 1363. Hel. 1068. Aristoph. ran. 704. al.

[34]) Varro de ling. lat. 6, 41. p. 88. ed. Müll. Cf. angustus (enge).

[35]) Cf. not. 24. 25. 26.

qui tenero terram circumiectu amplectitur". Sed quidquid de primaria vocum, quibuscum ἄγκαθεν cohaeret, significatione statuitur, hoc certum est, ἀγκάλη et ἀγκών nomina antiquitus non minus ad angulum, quam ad ulnam vel cubitum significandum usurpata esse.

Sequitur, ut ipsum ἄγκαθεν, sive ab ἀγκάς, sive ab ἀγκή, sive ab ἌΓΞ, ἈΓΚός, repetatur, aut nihil aliud nisi ex angulo significet, aut certe non minus ex angulo, quam ex ulnis potestatem admittat: idque sufficit ad diiudicandum, quid Aeschylus dixerit; nam ex angulo significatio in utrumque locum optime convenit; ex ulnis significatio in neutrum cadit.

Priori igitur loco, Agam. 3, petit excubitor a diis remissionem molestae suae vigiliae, quum iam per annum stratus in tectis Atridarum ex angulo, ad canis modum, stellarum agmen spectaverit vel cognoverit:

Divos mei finem rogo negotii,	Die Götter fleh' ich um Erlassung dieser Müh',
Custodiae, nunc annuae, qua Atreiis	Der Wache, da gelagert ich nun schon ein Jahr
Tectis iacens ex angulo, canis modo,	Auf Atreus' Dach aus einem Winkel, wie ein Hund,
Adspecto noctu siderum collegium.	Des Nachts hinüberschaue auf der Sterne Heer.

Opus enim erat excubitori recessu vel angulo (ἀγκή, ἀγκάλη, ἀγκών), quo contra tempestatem protegeretur, in talique angulo (casa, tuguriolo) recubans vix poterat quin cum cane in stabulo canino recubante se compararet [36]).

Altero loco, Eumen. 80, Orestes ab Apolline iubetur, Palladis urbem ingressus, vetustum simulacrum ex angulo, h. e. ex recessu in pariete, ex aedicula, e cella (Winkel, Ecke, Klause, Zelle, Nische), e sacello, ex adyto, sumere ac considere:

— Sed arcem Palladis nactus, sede,	— Doch nimm, gelangt in Pallas Burg, das Bild,
Ex angulo sumta vetusta imagine!	Das alte, aus dem Winkel fort und setze dich!

Morem enim Graecis fuisse, simulacra deorum in angulis sive recessibus parietum, in cellis sive aediculis sive sacellis locare, notum est [37]), et ipse Aeschylus, nescio an memor huius moris, de Prometheo in cavo vel angulo (ἀγκάλη) rupis collocando loquitur Prom. 1023:

πετραία δ' ἀγκάλη σε βαστάσει.

Revera igitur haec ἄγκαθεν vocis interpretatio, quam proposuimus, tam locis, de quibus disputavimus [38]), quam analogiae grammaticae satisfacit, vel potius egregie convenit, nec idoneo

---

[36]) Diligit Aeschylus eiusmodi comparationes. Electra in Choeph. 441 sibi videtur μυχῷ ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκην. Cum cane, domus custode, ipsa Clytaemnestra et se ipsam et Agamemnona comparat Agam. 585. 863. Cf. Ag. 1052. De canibus custodibus cf. Hom. Od. 7, 91—94. 14, 21—36. 17, 291—302. Aristoph. vesp. 970. Paus. 3, 15, 3. Colum. 7, 12. Sueton. Vitell. 16. Senec. de ira 3, 37. Senec. controv. 5, 30. Virg. Aen. 8, 296. Petron. 29.

[37]) Müller, Archaeol. d. Kunst §. 288. Vitruv. 3, 2, 2. 4, 4, 1. Cf. Petron. 29: „Grande armarium in angulo vidi, in cuius aedicula erant Lares argentei positi Venerisque signum marmoreum". Plin. nat. hist. 36, 13, 19: „Nemeses quindecim aediculis inclusit".

[38]) Alius generis est locus Eumen. 361 (369), ubi, quamquam in codicibus ἄγκαθεν legitur et ex angulo interpretatio a nexu sententiarum non abhorret, tamen metri gratia ἀνέκαθεν legendum est, ut versui strophae versus antistrophae respondeat. Cf. not. 6. 16.

caret fundamento, sed, subveniente ἀγκάς adverbii et ἀγκή nominis propinquitate, ex usitatis et pervulgatis ἀγκάλη et ἀγκών nominum significationibus procedit, ut mirum videri possit, quod in tanta de utroque loco dissensione ne unus quidem interpretum ad eam confugit. Obstiterunt scholiastarum commenta, quominus verum cerneretur; sed illorum non valet auctoritas, si quid proferunt, quod vel locis, quos explicant, vel analogiae grammaticae repugnet.

Exposita nostra de ἄγκαθεν vocabulo sententia incidit in manus nostras novissima Agamemnonis editio, quam curavit I. A. C. van Heusde Hagae-Com. 1864. Sequitur et ille in Agamemnonis loco v. 3 explicando scholiastae Medicei auctoritatem. Annotat enim haec: „Ἄγκ. Absurde in F. ἐν ἀγκάλαις, item gl. ad Eum. 80: ἄγκ. λαβών· ταῖς ἀγκάλαις. Dicitur ἀγκὰς ἔχειν et ἑλεῖν in Il. ut Aesch. Suppl. 479 ἐν ἀγκάλαις λαβών· cf. Ag. 662; sed ἄγκαθεν eo minime spectat. Est forma contracta pro ἀνέκαθεν· ac ne quis cum H. (Hermanno) miretur apocopen, qua vocalis necessaria abiiciatur, distinguendum erit. Plut. Thes. 33 ait, τὸ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἀνέκας ὀνομάζειν, καὶ ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν. Cf. Suid. ἀνέκας. Id. ἀνέκαθεν· κατὰ τὴν ἄνωθεν ἀκολουθίαν· ἢ ἀνέκαθεν μακρόθεν. Etym. Gud. ἀνέκαθεν· ἐκ τοῦ ἄνω καὶ τοῦ ἑκὰς, ὃ σημαίνει τὸ μακρόν· σημ. δὲ τὸ μακρὸν καὶ ἄνωθεν· ἐκ τοῦ παλαιοῦ χρόνου. Itaque duplex est ἀνέκαθεν· alterum, quo Attici ἐπὶ τόπου (non ἐπὶ χρόνου) utebantur, quod contrahitur ἄγκαθεν· alterum compositum, notans μακρόθεν· cf. 266, 1014, 1558 ἑκάς, Ch. 315 ἕκαθεν· 425 ἀνέκαθεν, ubi praecedit ἄνωθεν. Non est igitur, quod in ἄγκαθεν, ex simplice ἀνέκαθεν formato, vocalis necessaria dicatur periisse. Valet autem h. l. ὕπερθε, ἐπάνω, superne; cf. 793, 1503. Suppl. 594. Plat. Rep. VIII. 534 E: ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι".

Sed duplex esse ἀνέκαθεν, alterum locale simplex, alterum temporale compositum, nec eo, quod Attici ἀνέκας pro ἄνω dixerunt, nec allatis lexicographorum veterum locis comprobatur, et ne admittatur hoc discrimen, clamat analogia grammatica; cf. not. 18. Accedit, quod canes desuper ex tectis nec vigilare nec stellas spectare solent, itaque custodem in Agamemnone non decet dicere, per annum se stratum in tectis Atridarum desuper, canis modo, stellarum congregationem considerasse; nam illud κυνὸς δίκην, quum κοιμώμενος στέγαις praecedat, ex collocatione sua ad ἄγκαθεν referendum est.

Revera igitur Medicei scholiastae interpretatio: ἄγκαθεν, ἀνέκαθεν, ἄνωθεν, desuper, non magis probabilis est, quam illa Farnesiani: ἄγκαθεν, ἐν ἀγκάλαις, in ulnis; neque supervacanea est ea, quam ipsi proposuimus: ἄγκαθεν, ἐξ ἀγκάλης, ex angulo.

Valete!

Beckmann.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit dieb. Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni h. IX—X.
II. Jus ecclesiasticum tradere perget dieb. Lunae h. IX—X et Veneris VI—VII.
III. De re diplomatica Latina disseret exercitationesque instituet die Martis h. VI—VII.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologetices partem reliquam tradet dieb. Lunae et Jovis h. VI—VII.
II. Doctrinam dogmaticam de universorum creatione et de angelorum hominumque lapsu exponet dieb. Lunae, Martis, Mercurii h. X—XI nec non die Veneris h. II—III.
III. Theologiam moralem generalem tradet dieb. Jovis, Veneris, Saturni h. X—XI.

Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O.

I. Prophetas minores interpretabitur dieb. Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
II. S. Pauli ad Romanos epistolam explicabit dieb. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.
III. Repetitiones exegeticas instituet semel per hebd. h. definienda.
IV. Rudimenta linguae Chaldaicae ex iis quae huc pertinent V. T. capitibus docebit semel per hebd. h. definienda.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur ter per hebd. h. X—XI.
II. Persii satiras explicabit bis per hebd. h. X—XI.
III. De rebus mythologicis disseret bis per hebd. horis definiendis.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebd. h. X—XI.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit dieb. Lunae et Jovis h. II—III.
II. Geographiam mathematicam, physicam, et Atmosphaerologiam et usum instrumentorum meteorologicorum et praxin observandi ostendet dieb. Lunae et Jovis h. XI—XII.
III. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret dieb. Martis et Veneris h. XI—XII.
IV. Theoriam linearum et superficierum curvarum docebit et calculum differentialem et integralem tradet bis per hebd. horis definiendis.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebd. hora VIII—IX.
II. De Germanorum antiquitatibus disseret bis per hebd. h. VIII—IX.
III. Historiam poësis Christianae maxime apud Germanos docebit semel h. VIII—IX.

Dr. Frid. Michelis, P. P. E.

I. Psychologiam docebit ter per hebd. IX—X.
II. Metaphysicam ter docebit per hebd. h. IX—X.
III. Aristotelis libros de anima interpretabitur bis per hebd. h. III—IV.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Thiel,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

Stipendium Scheillio-Busseanum.

Pro certamine litterario hujus anni Ordo Theologorum Commilitonibus quaestionem hanc statuerat: „*Sancti Cypriani doctrina de Ecclesia ex ipsius scriptis proponatur*". De qua unum tantum opusculum exhibitum est insignitum verbis Psalmistae: „Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te". Sed auctor vim quaestionis aut non bene perspexit aut saltem in scribendo fere neglexit, ex ingenio magis suo aliisque fontibus quam ex s. Cypriani mente scriptisque de Ecclesia disserens, sermone praeterea utens non multum laudando. Quare eidem Ordo Theologorum praemium constitutum merito dubitavit adjudicare, itaque illud thema, juvenilibus ingeniis et viribus accommodatissimum, denuo proponit Commilitonibus tractandum.

Praemium constitutum XXV Impp. Terminus exhibendarum scriptionum d. 1. Januarii MDCCCLXVI.

Publ. in Lyceo Regio Hosiano d. 22. Martii MDCCCLXV.